



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 1. Quid sit propriè Talio? quid latè?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

quas horrendum est incidere. Quamquam etiam partim ad iustitiæ suæ manifestationem, partim ad innocenter afflictorum consolationem, partim ad aliorum exemplum & cautionem, sapissimè Deus, etiam in hac vita, puniat calumniatores, & quidem illo ipso malo, quod alijs præparauerunt. Hoc autem, siue per se, siue per alios, facere eum consueuisse, paulò explicatiùs dicere operæ pretium est.

CAPVT II.

Quid sit lex, aut pœna talionis, & quàm iusta?

§. I.

Quid sit propriè TALIO? quid latè?

VIndictam, seu hostimentum, veteres *talionem* appellauerunt. Vnde si quis alteri manum amputauisset, apud Romanos, illi *lege talionis* manus vicissim debebat amputari. Festi verba sunt: *Talionis mentionem fieri in XII. Tabulis, ait Verrius hoc modo: SI MEMBRVM RVPIT, NIGVM EO PACIT, TALIO ESTO.* Neq, id, quid significet, indicat, puto, quia notum est. Permittere enim lex parem vindictam. Quam Sylla metuens

metuens in sua familia primus voluit cremari, ne, quod Mario fecerat, ipse quoque pateretur. Plinium audi: *Ipsam cremare, apud Romanos non fuit veteris instituti: terrâ condebantur. At postquam longinquis bellis obrutos erui cognouere, tunc institutum. Et tamen multa familia priscos seruare ritum: sicut in Cornelia nemo ante Syllam dictatorem traditur crematus. Idq̄, voluisse, veritum TALIONEM eruto C. Marij cadanere. Ita quidem talio propriè accipitur; extendi tamen etiam potest in bonam partem, vt talio vocetur, quando bonum simili bono compensatur, seu quæcumque retributio, siue boni, siue mali, tamen veteres strictè vindictam intellexerunt per talionem.*

Plin. lib.
7. c. 54.

§. II.

Rationes & lepida historia contra pœnam talionis.

Hanc talionis legem (vti & alias leges decemuirales, quas decemviri eius rei gratiâ à populo creati composuerunt in duodecim tabulas) philosophus Fauorinus, apud A. Gellium, his verbis & argumentis impugnat. *Nonnulla in istis legibus nec consistere quidem, sicut dixi, visa sunt, velut illa lex TALIONIS: cuius verba, nisi memoria me fallit, hæc sunt:*

Aul. Gellius lib.
20. Noct.
cap. 1.